



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

2da Visitatio SS. Sacramenti. Actus Spei.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

& in ultimo transitu ad extremum usque spiritum lumen istud, quod jam olim per sacrum Baptisma in anima mea accendere dignatus es. *Adauge nobis fidem. Luc. 17.*

2da Visitatio SS. Sacramenti,

Actus Spei.

1. **S**CIO, quod peccata mea tam praelentia quam praelerita, & detestanda ingratitude mea O Deus me penitus indignum reddant omnium miserationum tuarum maximam, bonam videlicet morte. Sed spero nihilominus in te, in infinita tua bonitate, in tuis toties mihi confirmatis me juvandi promissis, & in meritis Domini mei JESU Christi pro me mortui. *Ipsa erit Salvator meus. Job. 13.*

2. Gravissimas tibi injurias intuli O Servator mi. Hanc tamen tibi nunquam inferam, ut jam non confidam in te. Nondum Judicis partes suscepisti, etiamnum es Advocatus meus. Quid igitur paveam? *Advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 1. Joan. 2.* Nihil magno tibi pretio constitui. *Redemisti me Domine Deus veritatis. Pl. 30.*

3. Quis unquam te invocavit O Deus meus! & a te neglectus est? quis unquam in te confidit, & periit? *Quis invocavit eum, & despectit illum? Eccli. 11.* Nullus speravit in Domino, & confusus est. *Ibid.* An ergo primus sum ego, qui contemnatur? qui confundatur? postquam

te invocavi, & toties in tanto aeternum pereundi periculo? non fiet id profectò. *In te Domine speravi, non confundar in aeternum.* Pl. 30. Beneficia præterita tot alia, & tam peculiaria N.N. pignus mihi sunt futurorum. Et gratia, quam mihi largitus es, nunc mihi pignus est gloriæ, quam mihi largieris.

4. Si sub ultimum hoc tempus infernus omni catenâ solutus in me irruat, & inimici mei multiplicentur millies, quid nocere mihi poterunt, si protegar à te? confidunt illi in suis viribus, in suis fraudibus. Ego verò in nomine tuo Domine. *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* Job. 17.

5. Omnia peccata mea colligo, & submergo in sanguine tuo Domine. Et protestor, quòd ad ultima usque suspiria mea hoc in te sperandi obsequium præstare tibi velim. Quia gloria hæc tua est extrinseca, si videas, quòd omnium maximè miserrimus in te confidat. *Ego autem semper sperabo, & adjiciam super omnem laudem tuam.* Pl. 70.

3tia Visitatio Sanctissimi.

Actus Caritatis.

1. **O** Deus animæ meæ! quia infinitè bonus, infinitè sanctus, & infinitè dignus es amari, amo te, & æstimo te super omnia. Et ut omnes cognoscant id esse verum. Ecce obviam morti libenter eo, & executionem SS. voluntatis tuæ mille vitis præfero. *Ut cognoscat*